

109. Quæritur, quænam potestas in Ecclesia statuere valeat impedimenta dirimentia?

Antiquis temporibus non desunt exempla aliquorum impedimentorum, quæ statuta sunt non a suprema auctoritate Ecclesiæ, sed a conciliis particularibus. Ex. gr. concilium Neocæsariense canone 2. constituit impedimentum affinitatis.

110. At tractu temporis ad vitandam confusionem, et ad inducendam uniformitatem in tanto negotio, factum est ut designatio et constitutio alicujus impedimenti recenseretur inter causas majores, quæ reservatæ sunt supremæ auctoritati in Ecclesia, Romano nempe Pontifici et concilio generali. Hinc cum archiepiscopus prohibuisset Parochis, ne assisterent matrimoniis quæ contraherentur absque denunciationibus cumque hæc matrimonia irrita et nulla decrevisset, Sacra Congregatio Concilii mandavit eidem ut quam primum suam constitutionem revocaret. (*Ben. XIV. de Syn. Dioces. lib. XII. c. 5. n. 2.*) Hinc etiam in Sacra Congregatione diei 2. Decembr. 1828 nullius valoris habitæ sunt constitutiones Synodi Roviensis die 11. Octob. 1619, quibus declarabantur irrita matrimonia clandestina, in locis in quibus promulgatum non fuit Decretum concilii Tridentini. *Conf. id. Ben. XIV. De Syn. Dioc. lib. XII. c. 5. nn. 7. et seq.*

111. Tandem animadvertimus, neque consuetudinem particularem modo posse introducere impedimentum matrimonii, nam uniformitas non servaretur. Utique universalis consuetudo id posset, sed consuetudo hæc vix concipi potest, quin innitatur auctoritati Ecclesiæ supremæ, ac proinde roboretur consensu saltem tacito Pontificis.

112. Quæritur an Episcopus possit impedimenta *impedientia* matrimonium statuere?

Impedimenta *impedientia* ea dicuntur, quæ matrimonium reddunt solummodo illicitum. Antiquitus poterant episcopi leges ferre generales in propria Diœcesi, quibus matrimonii honesta et licita celebratio regeretur. Hinc ex. gr. mos præmittendi publicas denunciations matrimonia, primitus fuit proprius alicujus Diœceseos, et tandem obligatio præmittendarum denunciations a Tridentino extensa fuit ad universam ecclesiam, ceu impedimentum impediens.

113. Verum cum legislatio Ecclesiæ ad modum juris communis, undique uniformiter aptata est, etiam in impedimentis impediens, induci cœpit uniformitas. Quare ne varia esset Diœce-

sium consuetudo, etiam materia de statuendis impedimentis impediens facta est causa major, ac proinde reservata supremæ potestati Ecclesiasticæ. Hinc hodiernis temporibus non possent episcopi vel Synodi particulares aliquod impedimentum impediens constituere ad modum legis, idest per modum dispositionis generalis in Diœcesi vel Provincia.

114. Dixi per modum *legis*; nam per modum *præcepti* in casibus particularibus potest utique episcopus matrimonium impedire, ita ut si matrimonium contra ejus interdictum contrahatur, licet validum, tamen sit illicitum. Hinc in tribunalibus Ecclesiasticis etiam primæ instantiæ invaluit, ut si nullum declaratur matrimonium ex titulo impotentiae, pars, quæ impotens apparet prohibeatur, quominus alias contrahat matrimonium absque nova Ecclesiæ venia.

Hæc porro facultas prohibendi matrimonia in casibus particularibus ob rationabiles causas ad scandalum vitandum, ad detegendum latens impedimentum quod existere dubitatur, procedit ex ipso munere pastoralis episcoporum, quo tenentur peccatum, quo fieri possit impedire.

115. Quare ajunt Doctores, etiam Parochum posse ad aliquod tempus differre matrimonii alicujus celebrationem ob motivum aliquod rationabile. (*Conf. Bened. XIV. De Syn. Lib. VIII. c. 14. n. 5. et Lib. XII. c. 5. n. 4.*)

116. Quæritur quinam subjiciantur impedimentis dirimentibus et impediens matrimonium.

Profecto si sermo sit de impedimentis juris naturæ et legis Evangelicæ, impedimenta hujusmodi omnes etiam infideles obligant, lege enim naturali et Evangelica omnes tenentur. Quare Christus Dominus de impedimento ligaminis absolute ait *'ab initio autem non fuit sic; qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit mœchatur, et qui dimissam duxerit mœchatur'*. Impedimenta autem quæ ad jus naturæ vel ad legem Evangelicam pertinent sunt:

117. 1º. *Error in personam*, idest substantialis error, quia deest consensus sine quo ex jure ipso naturali contractus deficit. Accedit etiam impedimentum *vis* eo quod etiam posita vi, deest consensus. Qui enim sub influxu vis operatur, non agere sed pati dicitur.

118. 2º. *Impotentia perpetua et antecedens*, vel utriusque vel unius ex contrahentibus. Quia supposita impotentia alterutrius

deficit scopus primarius et essentialis ad quem dirigitur matrimonium, et deficit materia contractus, idest jus in corpus in ordine ad actus conjugales, quod tradi debet.

119. 3°. *Consanguinitas saltem in primo gradu lineæ rectæ.* Idest pater filiam ducere non potest nec mater filium. Ratio enim ordinis et dependentiæ immediatæ excludit rationem conjugii. Namque inter patrem et filiam ex arctissima conjunctione sanguinis, disponente natura ipsa, intercedit adeo vehemens vinculum amoris sui generis idest paterni et filialis, ut rationabiliter non possit componi cum amore alterius ordinis et generis, prout est amor concupiscentiæ et conjugii.

120. 4°. *Ligamen* idest vinculum existens cum alia persona. Jus enim quod irrevocabiliter uni traditum est, non potest alteri tradi.

121. 5°. *Aetas* idest incapacitas præcaria ob defectum ætatis necessariæ et sufficientis ad consensum exhibendum.

122. Hisce sepositis impedimentis, certum est infideles non subjici ceteris impedimentis, quæ sunt juris Ecclesiastici. Ecclesia enim infideles potestate sua non tangit, juxta illud S. Pauli *'quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?'*

123. At quid de hæreticis et schismaticis?

Præscindimus ab impedimento clandestinitatis de quo infra in tit. *De clandestina desponsatione.* Quoad reliqua impedimenta juris Ecclesiastici, probabilior sententia est, quæ tenet etiam acatholicos hisce impedimentis subjici. Nam 1°. communis est doctorum sententia hæreticos et schismaticos teneri legibus Ecclesiæ. In re autem nostra, cum sermo præcipue sit de sectis hæreticorum, qui ab Ecclesiæ communionem recesserunt, quando jam impedimenta in jure communi existebant, dicendum est eadem impedimenta etiam quoad ipsos acatholicos perseverasse, secus ex rebellione commodum reportassent, idest libertatem contrahendi matrimonium absque ullo obstaculo juris Ecclesiastici. Poterunt sectæ acatholicorum solvi ab impedimentis venia Ecclesiæ, at solutionem factam fuisse non constat. Immo potius contrarium patet. Nam sæpe nulla declarata sunt conjugia hæreticorum contracta contra leges Ecclesiæ. Ita pluries declaravit sacra Congregatio Concilii, ex. gr. die 26. Sept. 1602; die 19. Januarii 1605 et die 2. Augusti 1725. Accedit etiam Bened. XIV. in constitutione *'Singulæ Nobis'* in qua docet etiam acatholicos teneri impedimento cultus disparitatis,

quod certe est impedimentum juris Ecclesiastici, introductum per consuetudinem Ecclesiæ.

124. Accedit etiam in conjugii acatholicorum ante conversionem contractis Ecclesiam solitam esse dispensare, quando veram fidem amplectuntur; ex adverso autem Ecclesia non dispensat in conjugio infidelium quando convertuntur. Hinc Sacra et Suprema Inquisitio tradidit Episcopis Germaniæ facultatem absolvendi ab impedimentis Ecclesiastici juris, circa matrimonia contracta in hæresi.

125. Neque dicant per hanc sententiam præjudicium gigni filiis progenitis ex matrimoniis hæreticorum absque solemnitatibus Ecclesiæ; nam filii habentur uti legitimi quando saltem unus ex parentibus fuerit in bona fide circa valorem sui matrimonii. Ita tenuit S. Congregatio Concilii etiam nostris temporibus in causa Herbipolensi ann. 1858. Jamvero in partibus hæreticorum et schismaticorum conjuges præsumuntur esse in bona fide, præsertim mulier, ob imbecillitatem intellectus, qua incapax est ingrediendi et percipiendi quæstiones canonicas difficiliore. Hæc præsumptio augetur si animadvertatur sententiam contrariam, etiam aliquam sibi vindicare auctoritatem, quæ potest bonam fidem parentum roborare.

#### De impedimentis impedientibus.

126. Hæc sunt quatuor: *'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.'*

I. *Ecclesiæ vetitum* idest præceptum particulare auctoritatis Ecclesiasticæ, qua ob rationabiles causas, ex. gr. ob timorem gravium rixarum, publici scandali et præsertim ob suspicionem fundatam latentis impedimenti dirimentis, prohibet uni vel utrique, idest viro et mulieri ne audeant matrimonium inire.

127. Qua in re animadvertimus *vetitum Ecclesiæ*, posse esse aliquando impedimentum dirimens, idest quando Summus Pontifex, qui impedimenta dirimentia potest constituere, prohibet aliquod matrimonium cum clausula irritante.

128. II. *Tempus*, quod *feriatum* dicitur illud est quo solennes nuptiæ interdicuntur. Hoc tempus olim diu perdurabat, a Tridentino *Sess. 22. cap. 10.* coarctatum est, ut decurrat tempore Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive. Hoc tempore in quo fideles præ-

sumuntur impensius vacare operibus pietatis, prohibentur solummodo solemnitates et nuptiales benedictiones, nec prohibetur celebratio contractus matrimonialis, si hic fiat absque solemnitatibus et absque nuptiali benedictione.

129. III. *Sponsalia* valida nec legitime resoluta, impediunt quominus relicta altera parte, alteruter ex sponsis contrahat matrimonium cum tertia persona. Per hoc enim matrimonium læditur obligatio legitime contracta in sponsalibus.

130. IV. *Votum simplex* perpetuæ castitatis, vel votum simplex ingrediendi religionem approbatam, aut suscipiendi sacros ordines matrimonium solummodo impedit. Nam matrimonium in casu procedit contra promissionem, quæ cum sit per se de bono meliori et possibili, a Deo acceptata esse præsumitur. Quare matrimonium hujusmodi censetur esse contra voluntatem Dei adeoque illicitum. Quomodo votum simplex a solemnibus distinguatur traditur in tit. *De voto et voti redemptione*.

131. Istis quatuor impedimentis impediens adiungenda est V. *clandestinitas* in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum. Nam matrimonia clandestina semper prohibita fuerunt. (*Trid. Sess. 24. c. 1. De Ref.*)

132. VI. Adjungi insuper potest *omissio denunciationum trium* præmittendarum matrimonio, in quibus tamen ex rationabili causa potest Episcopus dispensare;

133. Necnon VII. *cultus disparitas* inter partem catholicam et acatholicam.

#### De impedimentis dirimentibus.

134. Memoriae adjuvandæ gratia sequentibus versibus impedimenta dirimentia concluduntur:

- „Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
- „Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
- „Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
- „Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
- „Hæc socianda vetant connubia, facta retractant“.

Ex quibus versiculis patet, quindecim esse impedimenta dirimentia matrimonium. Nonnulla eorum in specialibus titulis proponuntur in Decretalibus, hinc in præsentem titulo pertractabimus de illis solis quibus specialis titulus adsignatus non est. Sit:

#### 1º. De impedimento erroris.

135. Error est: *falsa apprehensio rei*. Error potest dare causam contractui et appellatur *antecedens*, vel potest versari in mente contrahentis, dum contractus perficitur et dicitur error *concomitans*. Uterque error sive antecedens sive concomitans, potest esse in *personam* vel in *qualitates* personæ. Error personæ verificatur quando una persona accipitur pro alia. Error qualitatis verificatur, cum quis solummodo reputat in persona adesse aliquam qualitatem, quæ revera non adest, vel viceversa.

Error in personam qui dicitur etiam *substantialis* sive sit antecedens sive concomitans dirimit matrimonium. Nam revera non adest consensus et intentio contrahendi cum illa persona, cum qua contractus exterius perficitur. Apprime hoc verificatur adagium juris 'Errantis nulla est voluntas.' *Can. 2. quest. 1. Caus. 29.* Deest ergo fundamentum contractus.

136. Error autem in qualitatibus regulariter non reddit nullum matrimonium. Nam qui errat circa qualitatem, cognoscit personam quoad substantiam, et per consequens etiam cum errore adhuc potest velle ipsam personam. Quare remanet substantia contractus idest sufficiens consensus habetur ad obligationem ineundam. Hinc ex. gr. si mulier credebatur virgo vel nobilis, vel dives, et revera destituta hisce qualitatibus inde reperiatur, matrimonium valet. Præsumitur enim virum voluisse contrahere cum muliere illa determinata, et qualitates illas suppositas solummodo reddidisse virum propensorem ad matrimonium. Sic etiam error in nomine personæ præsentis non irritat matrimonium. Etenim qui contrahit sub ficto nomine: contrahit in propria persona. *Cap. 26. h. t.*

137. Verum error in qualitatibus matrimonium dirimit 1º. si error versetur circa qualitatem conditionis servilis. *C. 2. De conjugio servor.*

138. 2º. Si error qualitatis in personam refundatur. Id verificatur quando qualitas non est pluribus communis, sed est singularis et individuat personam, ex. gr. si Titius intendat contrahere cum filia primogenita, et loco istius adducitur secundo genita, vel si intendat contrahere cum filia nobilis alicujus determinatæ familiæ, et contrahit revera cum ignobili puella. Scilicet error debet versari circa qualitatem mente præconceptam et directe intentam, quæ personam secumfert omnino diversam ab ea cum qua actu

celebratur matrimonium, quemadmodum deducitur ex resolutione S. Congregat. Concilii die 29. Decemb. 1862. Hinc matrimonium non valet, quia consensus in hypothese fertur solummodo in personam tali qualitate munitam, quæ qualitas si deest, neque reapse adest persona illa cum qua contractus vult perfici.

139. 3°. Si error versetur circa qualitatem, quæ vel actualiter, vel saltem virtualiter, vel interne vel externe ut conditio *sine qua non* sumitur ad contrahendum.

140. Similis huic esset casus, quo aliquis qualitatem determinatam sibi proponeret ceu finem unicum matrimonii, ita ut matrimonium esset unicum medium ad qualitatem etiam directum. Consensus enim in casu alligatus conditioni, deficiente conditione de præsentis deficit et ipse, idest pro non posito habetur. Verum ad dirimendum in hac hypothese matrimonium, in foro externo requiritur ut intentio contrahentis exterius plene probetur.

## 2°. De impedimento vis et metus.

141. *Vis est impetus exterior cui resisti nequit.* Cum vis non possit ipsam voluntatem afficere, actus imperatos hominis solummodo potest attingere. Quare si sub influxu vis tantum externus actus ponatur deficiatque prorsus interior adhæsiō et consensus, procul dubio matrimonium sub impulsu externæ vis initum nullum est.

142. *Metus differt a vi* quia licet ex impulsu externo incutiat, tamen voluntatem ipsam agentem supponit. Definitur autem *'Instantis vel futuri damni causa mentis trepidatio'*.

In re nostra, hoc juxta canones tenendum est principium: *'Metus gravis, extrinsecus, injuste incussus, ad extorquendum consensum, irritat ipso jure matrimonium.'* Matrimonium enim debet plena securitate seu libertate gaudere, ne infelices exitus pariat. Cf. *capp. 14. 15. h. t. C. 2. De eo qui duxit in matrim.*

Hinc matrimonium sub metu contractum non recensetur inter actus validos et rescindibiles, bene vero est per se invalidum. Nam ob suam connaturalem indissolubilitatem, si semel est validum non amplius dissolvitur. Hinc rescindibilitas cum matrimonii conceptu componi nequit; illud enim faceret solubile et temporaneum. *'Matrimonium, ait S. Thomas, est natura sua perpetuum; si esset validum sed rescindibile evaderet temporaneum.'*

143. Prima qualitas metus est ut sit *gravis*. Gravis metus dicitur ille qui cadit in constantem virum, scilicet taliter debet esse incussus, ut sub ejus actione viri etiam prudentis et constantis mens trepidet, nec consilii sui plene sit domina, *c. 1. et 4. De his, quæ vi*. Cum vero metus sit affectio animi, sequitur naturam aliarum modificationum, quæ non pendent solummodo ab extrinseca causa, sed maxime a majori vel minori animi ipsius virtute et dispositione. Hinc in metus æstimatione attendenda est plurimum qualitas personæ, quæ metum passa est. Can. *'Indignantur'*, *caus. 32. q. 36.*

Quare Panormitanus in *cap. 14. h. t. in 6.* merito adnotat in casu mulieris ad irritandum matrimonium, requiri metum qui non in virum sed in mulierem constantem cadat.

144. Ex qua theoria bene inferunt Doctores, etiam metum *reverentialem* posse aliquando irritum facere matrimonium. Metus hic reverentialis est ille quo quis aliquid facit vel non facit ob timorem offendendi personam cui reverentiam præstare debet. Profecto si metus ex sola reverentia erga parentes vel alios majores concipiatur, solus regulariter non sufficit ad irritandum matrimonium. Sed si debitæ reverentiæ conjungatur continua objurgatio, seu vexatio, minæ et diuturna offensio, vel rigidæ et importunæ persuasiones austeri parentis vel superioris cui resisti non solet, potest inde metus excitari, qui in animo filii vel subditi adeo influat, ut filii vel subditi non amplius consilii sui domini, mens trepidet et impos fiat resistendi alieno imperio.

Ex quo metu taliter incusso matrimonium si contrahatur, quisque videt, ipsum ex libera electione et voluntate non procedere, sed potius ex fixo et irrevocabili proposito parentis vel superioris, qui modis omnibus vult obtinere consensum personæ sibi subditæ. Quare metus hujusmodi ceu gravis reputatur et sufficiens ad irritandum matrimonium. Ita sentit Lessius *De Just. et Jure lib. II. cap. 17.*; Sanchez *De matrim. lib. 4. disp. 7. n. 7.* et S. Congregatio Concilii in variis resolutionibus, inter quas in una data die Maji 1875.

145. Ceterum qualitatem metus æstimabit prudens judicis arbitrium, omnibus circumstantiis inspectis tum in ordine ad entitatem ipsius incussi metus, tum in ordine ad relationem personarum.

146. Secunda qualitas metus est ut sit *ab extrinseco* incussus, nempe a causa libera, idest ab homine. Si enim a causa necessaria et naturali, ex. gr. si concipiatur ex periculo naufragii, vel alterius damni naturalis, matrimonium valet. Nam causa naturalis et intrinseca timoris homini injuriam non irrogat; nec proinde lædit libertatem matrimonii. Matrimonium enim in hac hypothesisi, nullo cogente eligitur ab ipsa persona quæ contrahit, quæque eligit matrimonium ceu medium, quo conscientia suæ consulat.

147. Tertia qualitas metus est ut sit *injuste incussus*. Nam si legitime incutiatur idest a iudice, qui ex. gr. urgeat matrimonium sub pœna excommunicationis, vel infamiae vel carceris etc. matrimonium validum est. Censetur enim metus in casu ab ipso jure incussus, et per consequens non præsumitur ipsum jus irritare matrimonium.

148. Quarta tandem qualitas metus est, ut sit *directus ad extorquendum actum*. Hinc si pater ob læsum honorem filia suæ, simpliciter ulciscendi animo mortem minetur juveni qui puellam oppressit, et hic ad vitandam mortem proponat matrimonium, valet. Ratio est quia matrimonium in casu eligitur a juvene ipso ad redimendam vexam et ad evitandum malum imminens, ac proinde non cadit sub dispositione legis irritantis, quæ loquitur de metu quoad matrimonium incusso.

149. Ceterum cum actus positus sub metu, naturali jure sustineatur, eo quod metus non auferat voluntarium, et solum ex jure positivo irritum fiat, non est jus extendendum ultra suos limites a legislatore positos. Leges enim irritantes odiosæ sunt et rigidæ interpretationis.

150. Quæritur utrum metus purgari possit.

Metus ideo irritat matrimonium quia impedit plenam libertatem consensus. Quare si pars quæ ex metu invita erat fiat volens, potest matrimonium revalidari. Quoties ergo consensus libere, sive per verba sive per signa manifestatur, verificatur purgatio metus. Hinc juxta *cap. 21. h. t. et cap. 4. tit. 18. h. lib. 'Qui matrimonium accus. poss.'* spontanea et diuturna cohabitatio, vel copula quæ libere et non coacte intercedat inter conjuges, habentur ceu juridica præsumptio purgati timoris et convalidati conjugii, ita ut probatio contra matrimonium metu initum non admittatur amplius.

Etenim longa et spontanea vitæ consuetudo, vel copula libere posita ostendit, cessasse timorem et accessisse consensum liberum.

151. Verum post formam substantialem contractus matrimonialis inductam a Tridentino *c. 1. sess. 24. De Ref. matrim.* distinguendum inter metum publice incussum et metum occultum, idest inter impedimentum publicum procedens ex metu, et impedimentum occultum. Si enim impedimentum est occultum, et altera pars perseverat in consensu suo, pars vero, quæ metum passa est, sciens matrimonium prius contractum fuisse nullum, consensu accedat, matrimonium validum redditur. Nam cum initio servata fuerit forma tridentina, ita ut coram Ecclesia prius matrimonium tanquam validum habeatur, consensus partis læsæ, qui accedit, quoad forum internum complet defectum, qui aderat. Ut autem hæc revalidatio locum habeat requiritur 1º. ut pars, quæ metum passa est, sciat primum matrimonium fuisse nullum. Nam secus errans poneret consensum et forsitan consensus datus non fuisset si scivisset matrimonium esse nullum, 2º. ut perseveret consensus alterius partis.

152. Quod si impedimentum ex metu fuit publicum non sufficit consensus positus occulte, sed requiritur nova celebratio matrimonii, coram Ecclesia, servata forma tridentina. Nam prius matrimonium non solum in foro interno fuit nullum, sed nec fuit validum in foro externo. Cf. Bened. XIV. *In Inst. Eccl. 87. nn. 61 seqq.*

### 3º. De impedimento raptus.

153. In Decretalibus Greg. IX. legitur titulus *De Raptoribus* qui est 17. lib. V. At raptus de quo agit Gregorius IX. differt ab impedimento raptus de quo agit Tridentinum in *cap. 6. sess. 24. de Ref. matrim.* Nam impedimentum raptus, de quo sermo est in decretalibus Gregorii IX., confunditur cum impedimento vis et metus. Sane in *cap. 7. de Rapt.* species est de raptu, qui obstat matrimonio, et traditur raptum obstare solummodo ob dissensum et aversionem; ita ut si postea consensus accedat libere, et quod displicebat, incipiat placere, censeatur remotum esse impedimentum, ut valide contrahi possit matrimonium.

Ergo dissensus et aversio animi ad amussim procedebat ex vi et metu incusso ad matrimonium contrahendum. Igitur proprie dicta distinctio non erat jure decretalium inter impedimentum raptus, et impedimentum vis et metus.